



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Thevpoli Bened. F. Patric. Veneti,
Academicarum Contemplationum Lib. X**

Piccolomini, Francesco

[Basel], 1590

VD16 ZV 12463

An Mundus ab aeterno emanauerit à Deo, opiniones aliorum. Cap. 10.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12918

prouidentiam penitus non subterfugiunt: nã si ad vniuersum prouidentie ordinem respicimus; nil est in vniuerso penitus ex euentu, nil penitus à casu, vel à fortuna; sed omnia sunt prouisa, atque præuisa.

*An Mundus ab æterno emanauerit à DEO,
opinionēs aliorum.*

CAP. XX.

DE Mundi ortu, & interitu variæ fuerunt Philosophorum sententiæ: at ego, cæteris prætermisissis, solam Platonis opinionē explicaturus, assero Mūdum Idealem, siue intelligibilem esse proculdubio omni ex parte æternum: de Mundo verò corporeo, non ita constare, quid Plato fenserit, num scilicet putauerit ab æterno emanasse à Deo, vel potius in aliquo temporis principio; ideo variæ Academicorum sunt sententiæ. Proclus, Plotinus, Iamblichus, Syrianus, Simplicius, Ioannes Picus, & alij quamplurimi inquirunt Platonē putasse Mūdum omni ex parte esse æternum; & Aristotelem solū ab eo dissentire in verbis, in sententia verò conuenire. Quod si Plato in Timæo ponit Mundi generationem inquirens: Vniuersum igitur hoc cælum, siue Mūdum, siue quo alio vocabulo gaudet, cognominemus: de quo primò consideremus, quod in quæstione de vniuerso antè omnia inuestigari debet: Vtrumne semper fuerit sine vllō

ullo generationis principio, an genitum sit ab aliquo principio sumens exordium: id profecto cernitur, tangiturque, & corpus habet; omnia verò huiusmodi sensus mouent; quæ sensus mouet, opinione per sensus percipiuntur; hæc verò talia esse constat, vt gignantur, & genita sint; quicquid autem gignitur, ab aliqua causa necessariò gigni asserimus. Opificem quidem, & patrem Mundi inuenire, difficile; & cum iam inueneris, prædicare, & eloqui vulgò impossibile est. Quibus verbis Plato suam de Mundi ortu profert sententiam. Proclus, & alij nuper enumerati eam explicantes, inquit, Platonem per ea verba solum manifestasse differentiam inter corporea, & abiuncta à corpore: nam corporea, non verè sunt, sed fiunt; abiuncta verè sunt; propterea Plato tribuebat Mundo generationem; quia cernitur, tangitur, corpus habet, opinione percipitur: vel inquit, quòd Plato per genitum denotat dependens; vel quòd significat compositum ex initiis suis; vel demum quòd denotat Mundum esse genitum ratione generis, quia corpori non repugnat generatio; vt nec talpæ videre, sub ratione animalis. Confirmant viri isti præclari sententiam suam ex eo, quia Plato inquit; Bonus erat opifex, nulla vnquam aliqua de re tangitur inuidia; at opifex ab æterno est talis; quare ab æterno est Mundi opifex. Insuper addit Plato; Omnia sibi, quantum fieri poterat, simillima fieri voluit; at non esset Mundus o-

pifici similis, nisi esset æternus. Præterea de-
 clarans Plato, quomodo tempus æuo respon-
 deat, inquit; Illius animalis, (hoc est Mundi
 intelligibilis) æterna natura est; quod genito
 operi congruere omnino non potest. Itcirco
 imaginem æui mobilem effingere decreuit; ac
 dum Cælum exornaret, fecit æternitatis in v-
 nitate manentis æternam quandam in nume-
 ro fluentem imaginem, quam nos tempus vo-
 camus. & post pauca; Tempus vnà cum cælo
 factum est; & ad exemplar qui ideo factum est,
 vt mundus hic illi præstantiori, quoad potest,
 simillimus sit: ille enim Mundus, huius exem-
 plar, omne per æuum est; hic verò perpetuò
 per omne tempus fuit, sitque solus, & erit. Si
 itaque tempus est imago æui; & si Mundus
 perpetuò per omne tempus fuit, & erit; sequi-
 tur, vt omni ex parte sit æternus. Insuper,
 quòd Plato non loquatur de ortu Mundi in
 principio temporis; sed de eo, per quem dici-
 mus semper fieri; confirmat Simplicius in 1.
 de Cælo; quoniam Plato, antequam dubitet
 de Mundi ortu, declarat terminos, inquiens:
 Principiò mihi ita distinguendum esse vide-
 tur, quid sit, quod semper est carens genera-
 tione; quid verò, quod gignitur quidem, neque
 est vnquam: illud intellectu per rationis inda-
 gatione percipi potest, cum semper sit idem;
 hoc opinione per irrationalem sensum attin-
 gi, cum gignatur, & intereat, neque verè vn-
 quam sit. Ex quo patet Platonem non loqui
 de

de ortu in principio aliquo temporis, vt genitum distinguitur ab eo, quod tali principio caret: sed vt contradistinguitur ab eo, quod semper verè est. Sic in 10. de R. P. inquit Plato: Vita hominis ad vniuersum tempus nihil est. Et sub initium 3. de legibus ait: per infinitum tempus præfuisse homines, & annos esse innumerabiles. Mitto alia, quæ cumulatissimè à Proclo afferuntur, & referuntur à Philopono in disputationibus contra Proclum. Qui sunt huius opinionis, inquit Mundum ab æterno pendere à Deo per simplicem emanationem: quæ, latè loquendo, dicitur generatio: per quam generans præcedit non tempore, sed origine, & natura: in qua significatione accipiendum censent dictum Timæi Locri: Deus animam Mundi creauit suo corpore priorem, tum potestate, tum tempore, pariter dictum Platonis in Timæo: Ille verò, tam generatione, quàm virtute, priorem, antiquioremque Animam corpore constituit: vt pote, quæ obediens corpori esset imperatura, ideo inquit Porphyrius, Proclus, Plotinus: quòd tempus, & generatio, quibus Anima corpus antecedit, non est extrinsecum intervalum: sed est successio quædam in Anima, quæ in ipsa formarum discursione antecedit origine Mundi motum. Quod ex eo colligunt, quia mundus semper fit: Anima verò minimè, sed est modo aliquo. Confirmant, quia per Platonem tempus est genitum vnà

cū mundo: quare non potest Anima esse prior tempore Mundo. Auer. in 1. cœli, cōtextu 104. hoc concilium nouit, ideo inquit; Defendentes autem Platonem inquit, quòd similitudo generationis Mundi ex suis elementis cum generatione figurarum ex lineis, ac superficiebus, posita à Platone, significat, quòd Mundus semper fuit; & quòd non intendebat Plato per huac sermonem, nisi quòd partes eius sunt priores natura toto; non quòd fuerit verè genitus; & si hoc intēdebat, nihil differt ab Arist. Hæc Auer. Pari ratione, cū Plato dicat Mundum esse solubilem; aiunt Mundum dici solubilem, nō quia sit verè genitus, & in se habeat principia interitus; sed quia continenter pendet à Deo; adeò vt, ea dependentia remota, desineret esse; veluti dicebat Arist. in 9. metaph. 17. Si non essent substantiæ abiunctæ, nihil esset; & Auer. in 2. cap. de substantia orbis inquit; Et debes scire, quòd corpus cœleste nō eget virtute mouente in loco semper tantum; sed largiente virtutem in se, & in sua substantia, permanentiam æternam, &c. hæc dicunt, qui Aristotelem cum Platone hac de re nituntur reddere concordem.

Alia opinio de Mundi Dependētia à Deo.

CAP. XI.



Aristoteles, & cū eo Philoponus, Severus Atticus, Plutarchus, Alexāder, & alij quamplurimi tribuūt Platoni, quòd